

1528

*Veneta na-
vis & trire-
mes ad A-
puliam litora
illisa.*

*Augustinus
Amulius
Corcyram
ad classem
instauran-
dam profici-
scitur.*

ta tempestate, Apuliae litoribus illisae sunt: qui in navi longa, & Baduaria triremi erant, e naufragio in litus evasere; ii, quos altera triremis (Capellam vocabant) vehebat, omnes fere undis absorpti periere. Augustinus Amulius legatus, qui sexdecim triremibus universam Apuliae oram tuebatur, opidanosque in fide continebat, a Senatu Corcyram proficisci ad classem instaurandam, atque augendam iussus, quatuor triremes ad excurrenda proxima urbibus maria reliquit; Corcyramque profectus omni studio instaurare classem milite, ac remige nitebatur.

*Rumor de
Caesaris in
Italiam ad-
ventu.
Veneti clas-
sem augent.*

*Alexander
Pefareus lo-
gatus.*

*Vincentius
Justinia-
nus notha-
rum Praefec-
tus.*

*Urbina-
tis
Venetias
aduentus.*

Nam hoc tempore nulla major Patrum sollicitudo angebat animos, quam ut classis, & navigiorum numero, & militum robore, qua Caesareanae obsisteri posset, pararetur; cum & nuntiis, & literis Imperatorem quoque ingentem Barchinone in Hispania classem moliri afferretur, ut appetente vere in Italiam navigaret, cum foederatis mari dimicaturus. Haec omnia per oratorem Regi significantur; petitur, ut quamprimum adornari triremes, & naves actuaras, in quibus magna ad debellandos hostes vis esset, instrui juberet; nihilque praetermittebatur, ut anni insequentis initio & triremium numerus, & remigum, militumque robur quam maxime fieri posset, augeretur, atque Alexandro Pefareo legato nuper designato in mandatis datum, ut kal. januarii triremes in promptu haberet omnibus rebus ad protectionem instructas, atque adornatas. Idem Vincentio Justiniano notharum triremium Praefecto mandatum, quas ad decem numerum augeri Senatus decreverat. Per eos dies cum Urbini Dux copiarum terrestrium Imperator a Senatu, ut ad inviscendas ditiones suas se conferre posset, impetrasset, prius Venetias venit. Coram Patribus de ratione belli gerendi consultum est: interfuere Galli Regis orator, ac Francisci Borbonii nuntius Venetias missus. Regis legatus non tempus terere; non desidia labare militum animos oportere; praclarum aliquod facinus aggredi; in Insubrum caput, Mediolani civitatem omnia consilia, ac vires vertendas esse ajebat. Urbinas, qui militari fortitudini singularem prudentiae laudem adjunxerat, non periculis objectare media hyeme copias, summopere imminutas, satius esse ducebat; difficillimum fore hoc anni tempore, aquarum illuvie undique exundan-